

Vd. 154.





12. 12. 18. 18.



14.
DISPUTATIO JURIDICA
De
TUTELIS,

Quam,
Auspicante DEO
Et

*Magnifico atq; Amplissimo JureConsultorum Ordine
in Celeberrima Academia Wittebergensi
approbante*

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

Dn. JEREMIÆ REUSNERI

J. U. D. Celeberrimi, Academiae Antecessoris
& Senioris meritissimi, Electoralis Curiae, Facultatis Ju-
ridicae nec non Scabinatus Wittebergensis Assessoris dignissi-
mi, Praeceptoris ac Promotoris sui aetatem cultu
observantiae suspiciendi

Ad placidam collationem publicè proponit

HENRICUS KORNMANNS

Breslâ Sil.

In Auditorio Jctorum horis à septima matutinis

Ad diem II. Aprilis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,

ANNO MDC XXXIII.

Vd. 154.
a.

Gosfido B.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
TUTELIS.

Quam
Auspiciis D. E. O.

Et

Magistro et p. amplissimo Jur. Consulto Ordine
in Celeberrima Academia Wittenburgensi
approbante

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

DA. JER. FUSNERI

J. D. Celeberrimi, Academiæ Amice
et Senioris meritis, Eminentis Curia, Facultatis Ju-
ris et non solum Venerabilis Illustri-
tatis et Prætoris et Promotoris sui status colu-
mæ observatæ supplicandi

Ab placidissima collatione publice proponit

HENRICUS KORNMANNII

Bacchi filii

In Auditorio Juris hunc diem à septima hora

Ad diem 11. Aprilis.



WITTEBERGÆ.

Ex Officina Typogr. JOHANNIS KÖHNERII.

Anno MDCXXXIII.

Handwritten signature or note in the bottom left corner.



IN NOMINE DO-
MINI NOSTRI JESU
CHRISTI.

L. 2. C. qui testam: facere poss.
vel non,



Ulm, quod per se lauda-
tum, cujus utilitas ipsa se ostendit,
commendatione non indigeat, *res. l. e*
Ulpiano l. 1. ff. de in integr. restit. &
ego ne laudando alioquin satis lau-
datum, actum agam, & potius su-
pervacanea laude aliquid detraham, quam addam
huic tutelarum materiae, (quam utilissimam & in
foro frequentissimam sciunt, & hi, qui sacra juris
pulpita à limine, ut dicitur, salutaverunt) nihil lau-
dis addam, sed ad id quod instituti mei est me ac-
cingo.

Sit igitur Theſ.

1. Verbum tutelæ latè patens est, eoq; tripliciter utun-
tur Jurisconsulti: 1. latissimè pro qualibet defensione ac
conservatione accipitur, ut tutela viæ, *l. quidem 30. ff. de le-*
gatis, tutela ædificiorum *l. fructus 7. § ult. ff. solut. matr.* tu-
tela corporis sui *l. ut uni 3. ff. de just. & jure tutela dotis l. pen.*
ff. de impens. in res dot. fact. tutela civitatis *l. 1. § curavit au-*
tem 2. ff. de Cloacis. 2. Latè pro curatione. Sic in *l. ne lu-*

A 2

crum

erum 5. C. de curat. furios. 3. Strictè pro defensione ac
tutione impuberum, qui seipsum propter ætatem defendere,
ac tæri nequeunt § 1. Inst. de tut. § impuberes 6. Inst. de Att.
tut. l. 1. in princ. ff. de tut. Sed missis reliquis significationi-
bus nos hic in ultima significatione accipimus, quatenus
strictè ac in specie usurpatur de illa tutione, quæ pupillo vel
impuberi præstanda à Tutore.

2. Tutela est vis ac potestas, in capite libero ad tuendum
eum qui per ætatem seipsum defendere nequit, jure civili
data ac permessa § est autem inst. de tutel. l. 1. ff. eodem. Illa
Verba, in capite libero, alij ad pupillum referunt, ut Accur-
sius, Duarenus, ad t. ff. de tutel. cap. 1. Wesenb. ad Inst. § 1. Rit-
tershusus, Schneidw., Ant. Math. in notis, Vult. numero 3:
Alii verò ad tutorem, inter quos Arumeus Disp. 3. thes. 2. su-
per Instit. Treutl. vol. 2 Disp. 8. th. 4. lit. C. Barth. ad l. 5. ff. d. t.
Nos autem cum Donello 3. comm. 1. & ad tutorem & ad
pupillum referri posse patamus, ad tutorem, ut intelligatur,
quod tutela sit civile munus, adeoq; liberis hominibus cor-
credendum l. in servili 7. C. qui dari tut. possunt. Non servi,
quippe qui jurium Civilium non sunt capaces, caputq; non
habent, & pro mortuis habentur l. intercidit 59. in fin. ff. de
cond. & demonstr. l. 2. § 9. ff. de R. 7. Ad pupillum verò ut
pateat illos, qui in tutela sunt, sui juris esse & liberum ca-
put habere. pr. Instit. de tut. alieni juris in tutela esse non
posse l. 14. in pr. ff. de test. tut. § 7. Inst. quibus modis tut.
fin.

3. Prædicta Definitio Tutelam in tres dispescit species,
non ratione officii & potestatis, omnes enim ejusdem pote-
statis sunt, eademq; officii necessitate tenentur, sed ratione
efficientis, in testamentariam, legitimam & dativam. Legi-
tima à lege ipsa datur: permittitur danda testamentaria & da-
tiva l. generaliter 50. C. de Episcop. & Clericis l. fin. C. de au-
torit. præstanda.

4. Inter has tutelarum species primum locum tenet te-
stamentaria: Cum sit principalior & magis privilegiata,
quam

quamdiu enim hæc speratur, cessat legitima *l. si quis sub con-*
ditione 11. in pr. ff. de tut. & rationibus distrab. l. quamdiu 89.
ff. de R. J.

5. Est autem testamentaria tutela, quando parens, libe-
ris suis impuberibus, in potestate existentibus, testamento
dat tutorem.

6. Lex duodecim tabularum causa efficiens est testa-
mentariæ tutelæ teste Cajo in *l. 1. in princ. & Paulo in l. 20. ff.*
de test. tut. & permittit hoc parentibus, § permiffum 3. Inst. de
tut. non enim vero simile est, quempiam diligentius de pu-
illi bonis prospecturum, parentibus, qui liberis suis opti-
me velle & prospicere creduntur l. nec in ea 22. §. fin. ff. ad
L. 7. de adulteriis l. si plures 3. § si parens 1. ff. de adminiftr.
& peric. tut. & nullus affectus vincit paternum testante Im-
peratore Justiniano in l. fin. C. de Curat. furios. & prod. dand.
Etiam si Pater in testamento filio nihil relinquat, sed eum
exhæredem faciat. *l. Pater 4. & l. si pater 31. ff. de test. tut. l.*
jure nostro § 2. ff. de cond. & demonstr.

7. Mater, vel Avia si Filios instituerit hæredes, testa-
mentoq; tutorem dederit, à judice cum inquisitione is con-
firmendus est *l. 2. & 4. ff. de Confirm. tut.* Si vero liberis
præteritis testamento tutorem dederit, & tum ejusmodi tu-
torem prævia scrupulosiori & diligentiori inquisitione, judi-
cis decreto confirmandum esse probat clarus Juris textus *l. 4.*
C. de test. tut.

8. Liberis impuberibus, sine sexus & gradus discrimine,
parentes dare possunt in testamento tutorem *l. 1. in pr. ff. de*
test. tut. §. permiffum 3. instit. de tut. neq; solum jam natis,
sed & nascituris ut posthumis, qui modo in ea causa sunt,
ut si vivo Patre nascantur, in ejus futuri sunt potestate. § cum
autem *4. instit. de tut. l. 1. § 1. ff. de test. tut.* & quidem proxi-
ma § promiffum est *instit. de tut.* In omni enim parte juris,
ubi de commodo eorum, qui adhuc in utero sunt, agitur, pro
jam natis habentur. *l. qui in utero 7. ff. de statu hominum.*

9. Testamento hi Tutores constituuntur § 3. *Inst. de tut.*
l. 1. § t. t. ff. de testam. tut. Unde & nomen sortiuntur, &
testamentarij sive testamento dati appellantur, *Vult. lib. 1. Ju-*
rispr. Rom. cap. 25. n. 26. idem erit si in codicillis testamento
confirmatis dati fuerint, *l. testamento. 3. l. ult. ff. de testam.*
tut. l. 2. C. eodem.

10. Si Pater testamento imperfecto, filio tutorem de-
derit; licet datio tutoris non valeat ipso jure, tamen tutor
à judice confirmari debet, *l. qui à Patre 3. ff. de confirm. tut.*
l. 2. § 3. C. h. t. Hac tamen cum distinctione: aut enim
Testamentum est minus perfectum vel minus solemne, ra-
tione præteritionis vel exhæredationis; & tunc valet con-
stitutio tutoris ipso jure, & autoritate legis. Ex causa enim
exhæredationis vel præteritionis irritum est Testamentum,
quantum ad institutiones hæredum. Cætera verò ut con-
stitutio tutoris, legata, & c. firma permanent. *Auth. ex causa*
C. de liberis præter. Aut imperfectum est, ratione solennitatum,
propter defectum numeri testium, & tum aut datus est Filiis
tutor extraneus, & non valet ista datio de jure, sed debet Tu-
tor à Judice confirmari: Aut est Tutor datus unus ex filiis,
& tunc valet ista constitutio tutoris, etiam sine confirmatio-
ne, quoad liberos enim ejusmodi testamentum valet *l. hac*
consultissimâ 21. §. ex imperfecto, & ibi Dd. C. de testamentis.

11. Si verò solum facti fuerint Codicilli, in quibus tu-
tor datus est, nullo verò testamento confirmati; non valet
datio hæc, nisi à consule solennitatis defectus suppleatur.
l. 2. § si autem. ff. de confirm. tut. & curat.

12. Si alij dati fuerint codicillis testamento confirma-
tis, alij in testamento, omnes munere tutelæ funguntur, fa-
vore pupillorum, quibus expedit multos habere tutores &
defensores, nisi datos in codicillis, vel alterum eorum in te-
stamento reprobaverit *l. 2. C. de test. tut. Socinus Conf. 183. n. 3.*
lib. 2. Mont. in tractatu de tut. cap. 8. num. 13.

13. Tutor testamento datus, à magistratu confirmatus
est dativus: sapit tamen testamentarij naturam maximè in
duobus

duobus i. quod non teneatur satisfacere, pupilli rem salvam fore, l. qui a patre 3. ff. de Confirm. tut. in pr. de satisfactione tutor. 2. Quod tutor dativus excusando se a tutela non perdat legatum relictum in testamento, sed sic confirmatus, excusans se a munere tutelae privatur legato, sicut Testamentarius l. Neseinius. 32. cum duabus legibus seqq. ff. de Excusat. tut. Cujacius 7. observ. 7. & in Parat. Cod. de Confirmatione tut. Azo. in summa Cod. ibid. Arumaus disp. 3. ad Instit. th. 5. Ex his praedictis satis constat qui dare, quibus dare, & quomodo dare tutores permissum sit: sequitur jam qui dari possunt.

14. Non omnes autem tutores constituendi sunt, sed illi qui idonei, & pupillis bene prospecturi censentur; sive Praetor sive Consul sit, sive nobilis sive plebejus l. tutor. 20. ff. de test. tut. sive Patresfamilias in pr. instit. qui test. tut. dari pos. Sive filijfamilias d. pr. instit. qui tutor dari pos. l. filiusfamilias 9. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris l. Lucius 21. ff. de adm. & pericul. tut. In muneribus enim publicis, quale tutela est, princ. instit. de Excus. tut. l. 17. § 1. ff. de Excusat. tut. l. 2. § 2. ff. qui pet. tut. filiusfamilias habetur pro patrefamilias. l. filiusfamilias 9. ff. de his qui sunt sui vel alij juris, modo cum eis sit testamenti factio. Nam hoc necessario requiritur, ut habeat Testamenti factionem. l. testamento 21. ff. de testam. tut. sive activam sive passivam, id est sive testamentum ipse condere, sive aliquid acquirere ex testamento, vel sibi, vel aliis, possit § in extraneis 4. instit. de hered. qualit. & differ. Nisi vel lege vel natura prohibeantur.

15. Naturam sive re ipsa prohibentur, qui ea praestare non possunt, quae ad tutelae administrationem necessario requiruntur: quo in numero sunt, morbo animi laborantes: ut furiosus, § furiosus, 2. instit. qui testam. tut. dari possunt l. furiosus 11. ff. de tutel. Minor viginti quinque annis: qui enim alieno auxilio in rebus suis administrandis opus habent, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam subire nequeunt § item major 13. instit. de excus. tut. l. ult. C. de leg. tut. Mutus & surdus

surdus, cum auctoritatem præbere non possint, ille, quia loqui, & se auctorem fieri velle dicere non potest: hic, quia audire, quid in re pupilli peragitur & tractatur, indeque de re statuere, vel constare non potest, probet eam an improbet *l. 1. § pen. & ult. ff. de tut. l. pen. ff. de legit. tutel.* Hæc autem de eo non intelligenda sunt muto, qui balbus est, vel lingua hæsitat, vel cui lingua est impedita, & inexplanata, sed qui elinguis est, nihilq; eloqui potest, *l. mutum 9. ff. de Aeditio edicto.* Neq; de eo surdo, qui surdaster tantum est, is enim potest esse tutor, teste Paulo *JC. in l. fin. ff. de leg. tut.*

16. Jure sive lege prohibentur, tutores esse hi, qui civium Romanorum communionem non habent, jurisq; civilis non sunt participes. Horum in numero sunt deportati *§ minor 2. instit. de cap. dim. § cum autem instit. quibus modis patria potestas solvit, item servi l. 22. ff. de test. tut. l. 7. C. qui dari tut. non poss. l. quod attinet 32. de R. I.* tutelæ enim datio juris civilis est, uti probat definitio, *l. qui testamento. 20. § servus 7. ff. qui testam. fac. poss.*

17. Proprius servus, sive cum libertate, sive sine libertate expressâ, datus valet. *§ sed & servus 1. Inst. qui test. tut. dari poss. l. quero 32. § Lucius Titius 2. ff. de testam. tut.* non enim putandum, patrem filio tutorem inutiliter relinquere voluisse, cum servus, quam diu manet in servitute, non possit esse capax eorum, quæ sunt juris civilis *l. in servili C. qui tut. dari poss.*

18. Servus alienus, stricto quidem jure, purè dari non potest, *§ 1. instit. qui testam. tut. dari poss.* sed tamen sic datus ob favorem pupilli, utilitatemq; publicam sustinetur, & censetur tacitè hæc conditio: cum liber erit inesse *l. 10. § ult. ff. de test. tut.*

19. Prohibentur & aliæ personæ, quæ quidem civium Romanorum habent communionem, cives Romani sunt, ut fœminæ. Tutelæ enim administratio, munus masculinum est, teste *JCto Neratio in l. fin. ff. de tut. § l. 5. 6. eodem*

tit. l. 7. C. quando mul. tut. off. fungi potest, & dicitur tutela munus publicum l. 1. § ult. ff. de mun. & hon. & civile l. 1. C. quod cum eo qui aliena potest, l. 8. C. de excusat. tut. & curat. l. ultima ff. de muner. & honor. quorum officiorum & munerum mulieres non sunt participes l. femina 2. ff. de R. I.

20. De jure Digestorum, pater tutelam communium liberorum frustra matri demandabat l. jure nostro 26. ff. de test. tut. & si mater suscipere eam volebat, cogebatur à Principe filiorum tutelam specialiter postulare l. fin. ff. de tut. juramento secundis nuptiis, Vellejano Scto & omnibus aliis auxiliis renunciare l. mater 2. C. quando mulier tut. off. fungi poss.

21. De Jure Novellarum, non solum Mater & avia, à Patre testamentoatrices dari possunt, Novella 94. cap. 2. item Nov. 118. cap. Ex his autem 5. auth. matri & avia C. quando mulier tutela officio fungi potest: Sed etiam quamvis Testamento non deferatur tutela filij, tamen permittitur & præfertur omnibus aliis tutoribus legitimis, & dativis, dict. auth. puta si velit subire illud onus; nolentes enim seu invitæ, non coguntur, dict. auth. & si simpliciter renunciaverit apud acta, secundis nuptiis, & senatus consulti Vellejani auxilio. l. 1. auth. matri & avia.

22. Miles, ne volens quidem, ad tutelam admittitur, § idem & in milite inst. de excusatione tut. l. militia 4. C. qui dari tut. vel curat. possunt. Militibus enim, prohibita sunt ea omnia, quæ quoquo modo possunt eos à militia distrahere l. milites 31. C. de locat. & conducto.

23. Sicut milites seculares, non sunt evocandi, à suis signis & castris, & immunitatem à tutela habent, ita & milites coelestes, Clerici ministri Ecclesiarum l. generaliter 52. C. de Episcopis & Clericis. Militans enim Deo, non debet implicare negotiis secularibus, C. in fin. extra ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.

B

24. Nunc

24. Nunc videamus formam dandi tutores in testamento, quam Imperator Justinianus ponit in § 3. & 4. §. qui testam. tut. dari poss. In quo ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante hæredis institutionem, posse dari tutorem, non dubitatur Ulp. in l. tutor. 8. § tutorem 2. ff. de testam. tut. Et hoc proprium est tutelæ testamentariæ non esiam cæteris; lex enim ita tutorem non dat, nec iudex l. 6. § 1. ff. de tutel. Ratio differentiæ non obscura est, Lex enim duodecim tabularum, ita consistere testamentariam tutelam iussit, & lex præsumit testatorem optimè prospexisse liberis suis in testamento suo l. 3. § 1. ff. de adm. tut. l. 22. § ult. ff. ad l. Julian. de adult. l. ult. C. de carat. furios.

25. Certæ autem rei, vel causæ, tutor dari non potest, quia personæ non causæ vel rei datur § 4. instit. qui testam. tutores dari poss. atq; hoc est quod in tutelæ definitione dicebatur; eam esse jus in caput liberum: non facta ulla rei mentione; nisi detur ad quandam rerum universitatem: veluti si testator habeat, plura bona in diversis provinciis, poterit dare alium tutorem rebus Africanis l. si tamen tutor. 15. ff. de testam. tut.

26. Hactenus de testamentaria tutela; jam alteram speciem, nimirum legitimam videbimus. Legitima tutela est, quam deficiente tutore testamentario proximis agnatis, sive uni sive pluribus pariter, qui in eodem gradu sunt, lex duodecim tabularum defert. § fin. instit. de cap. dimin. l. si relinquero 8. & seqq. ff. eodem.

27. Locus est tutelæ legitimæ, quando testamentaria cessat, ad similitudinem successionis. In successione enim, quam diu hæreditas ex testamento adiri potest, successio ab intestato locum non habet l. quamdiu 39. ff. de acquir. hered. ita quamdiu testamentaria spectatur; legitima tutela cessat. l. si quis sub conditione 13. ff. de testam. tut.

28. Olim soli agnati, gradu proximi ad hanc tutelam vocabantur, hodie differentiâ agnationis & cognationis, quoad

quoad successiones & tutelas, autoritate Justiniani in Nov.
118. cap. 4. & 5. sublata, & pariter ad successionem & tutelam
proximiores consanguinei vocantur, sive sint agnati, sive
cognati *Auth. sicut heredes de legitima agnatorum tut.*

29. Legitimæ tutelæ quatuor in jure nostro species enu-
merantur, 1. Agnatorum *princip. instit. de legit. agnat. tut.*
2. Patronorum *l. 3. ff. de legit. agnatorum tut. r. t. de legit.*
Patronorum tut. 3. Parentum *pr. instit. de leg. parent. tut.*
4. Fiduciaria *instit. de fiduciaria tut.* De prima specie agna-
torum antea diximus: ergo nunc progrediemur ad alteram,
nimirum patronorum.

30. Tutela Patronorum est, quæ Patronis à lege defer-
tur, non quidem specialiter & nominatim, sed per conse-
quentias hereditatum, quæ ex ipsa lege Patronis datæ sunt
l. 3. ff. de legit. tut. tot. tit. instit. de legit. patr. tut.

31. Parentum tutela non ex verbis, neq; ex mente legis
datur, sed ex interpretatione Jurorum, propter rationis iden-
tatem, descendit, respectu habito à Patrono ad parentem,
quos comparat jus nostrum, tam in hereditate, quam in tu-
tela *§ præterea 6. inst. quibus modis patr. potestas solvi-*
tur.

32. Fiduciaria tutela neq; ex mente legis, neq; ex ipsis
verbis, neq; ex identitate rationis descendit, sed, ut Docto-
res interpretantur, propter fiduciam diligentia & fidei fra-
ternæ introducta *arg. legis 31. § pen. ff. de negotiis gestis.*

33. Testamentaria & legitima tutela deficiente, lo-
cus est honorariæ sive dativæ tutelæ *princip. instit. de Atti-*
liano tut.

34. Dativa tutela, est actus legitimus, per quem datur
tutor impuberi, à Magistratu ad petitionem matris vel pro-
ximorum consanguineorum, testamentariis vel legitimis
tutoribus non extantibus.

35. Tutoris datio, neq; imperii, neq; Juris dictionis est,
sed tantum competit ei, cui nominatim dederit hoc, vel lex
vel senatusconsultum, vel Princeps *l. muto § tutoris: 2. ff.*

de tut. Schneidw. ad § nos autem. Instit. de Attil. tut. Cor-
rasius 5. Miscell. 24. Cujacius 7. observ. 6.

36. Magistratus eis dare solent tutores 1. quibus neque
testamento tutor datus est, neq; 2. tutor est aliquis cognatio.
pr. Instit. de Att. tut. 3. quibus sub conditione, in testamen-
to tutor datus erat, à Magistratu tutor datur donec conditio
illa, sub qua datus erat, extitisset §. 1. Instit. de Att. tut. l. ii. ff.
de Test. tut. 4. Si hereditas, qua cum tutor datus, nondum
addita sit, potest interim alius à Magistratu tutor dari, quam-
vis designat, hereditate addita l. 9. & 10. in pr. ff. de testam.
tut. § 1. instit. de Att. tut. 5. Scripto tutore appellante,
alium temporarium tutorem dare magistratui incumbit, l. 2.
ff. de tut. vel curat. dat. 6. quibus tutor quidem est, sed ab
hostibus fortè captus, & sic in statum servilem deductus, ut
propterea amplius tutor esse non potuerit § 2. Instit. de Att.
tut. l. 7. §. 1. & l. 8. ff. de tut. & ration. distrab. 7. In locum
absentis, reipublicæ causa, à magistrata surrogandus l. si tu-
tor 9. ff. de tut. & rationibus distrabendis. 8. Si excusaverit se
tutor l. ii. § 1. ff. de test. tut. 9. in locum eorum, qui perpe-
tuo excusantur, ut furiosi, cœci & muti & surdi l. com-
plura. 17. ff. de tutel.

37. Adeundus autem Magistratus est à certis personis.
Nam 1. Mater liberis necesse habet tutores petere l. 1. & 2.
ff. qui petunt tut. si enim mater intra annum illis tutorem
non petierit, indignam se facit hereditate, l. 3. qui petant
tutor. § sed quemadmodum 6. Instit. de Senatus Consulto
Tertul. l. 2. § si mater 23. ff. eodem. 2. Liberci necessariò
& sub pœna defecti officij, sive obsequij liberis Patroni im-
puberibus tutorem petere tenentur l. 2. § 1. ff. qui tut. pete-
re, l. 2. Cod. eodem l. Sancinus 28. § personis C. de adm. tut.
3. Reliqui cognati pro arbitrio, & voluntate petunt l. 2. in
pr. ff. qui pet. tut.

38. Si verò horum nullus pupillo prospiciat, ex officio,
Magistratus tutorem pupillo constituere debet, l. 6. C. qui
dare

*dare tutor. vel curator. poss. l. 1. ff. de jurisdictione l. 3. qui
petant. tut.*

39. Facienda est autem petitio tutoris in eo loco, unde
originem ducit pupillus, vel ubi major est facultatum pars
l. 1. C. ubi tut. petantur.

40. Haecenus de tutelae speciebus, earumque affectioni-
bus vidimus: nunc paucis de hoc abimus, quae tutelae susce-
ptionem, & administrationem praecedunt. Primum est
Decretum judicis, licet enim proximior agnatus lege voce-
tur ad tutelam, aut quis à testatore instituatur, vel à Judice
detur, nunquam tamen potest administrare, nisi prius
interveniat decretum Judicis, quo decernatur ei admini-
stratio *l. naturali ff. de confirm. tut.* Nisi testator testamen-
to tutori licentiam concesserit propria autoritate, admini-
strandi bona pupilli.

41. Secundum praestatio juramenti, quo sanctè pro-
mittit, se pupillum in defensum non relicturum, nec inutilia
facturum, aut utilia praetermissurum *l. ult. § omnem 4. C. de
administr. tut. & curat. l. tutor. 30. ff. de administr. & peric.
tut. l. ult. in fine cum Authent. sequent. C. de Curatoribus fu-
rios. dand. Nov. 72. cap. fin.*

42. Tertium, Satisfactio tutoris, rem pupilli salvam fo-
re *l. 1. § 4. ff. rem pupilli salvam fore l. 5. § 1. ff. de legit. tut.
l. 25. in pr. C. de administr. & peric. tut.* haec autem satisfac-
tio, non fit auri vel honorum obligatione, cum omnia bona
tutoris pupillo pro administratione sint obligata *l. pen. C.
in quibus causis pign. tacit. contrah. l. 20. C. de administr. tut.*
Sed datis fidejussoribus idoneis *l. 1. ff. rem ratam haber. l. 4. § 1.
ff. rem pupilli salvam fore l. 3. ff. de Praetor. stipulatione.*

30. Si Tutor fidejussorem habere nequeat ad jurato-
riam cautionem, non admittitur *l. 2. C. de tut. & curat.
qui sat. non deder.*

44. Omnes praetor Testamentarios, & ex inquisitione à
majoribus judicibus datos, satisfacere tenentur: hi enim propter

approbatam fidem, à testatore aut Judice ad satisfactionem non compelluntur. *l. testamento 17. ff. de testam. tut. l. Non omnium 4. C. de tut. § curat. qui satis non deder.*

45. Quartum, Confectio inventarij, sive repertorij, in quod nominatim referenda & describenda omnia bona, mobilia & immobilia, corporalia & jura, Omnes deniq; res ipsius pupilli *l. 7. in princ. ff. de administr. tutel. l. 24. tutor C. eodem* alioquin in dolo esse præsumitur, & tenetur in id quod interest, quod jure jurando in litem æstimetur, quin etiam removeri tanquam suspectus potest. *l. tutor qui repert. 7. ff. de administr. tut.* Nisi testator ipse confectionem expressè prohibuerit vel remiserit *l. ult. C. arb. tutel. l. Aurelio § 3. de lib. legat.*

46. His per actis sequitur administratio tutoris, quæ consistit in duobus i. in administratione rerum pupillorum, & auctoritatis præstatione *Ulpianus in frag. tit. de tut.*

47. Administratio primo in eo consistit, ut persona pupilli educetur, in qua educatione sumptus faciendi sunt pro dignitate familia, ita ut & ratio facultatum habeatur. *l. 12. § 1. ff. de administr. § periculo tut.* Hinc plerumq; postulant tutores, ut hi sumptus vel alimenta decreto Magistratus constituentur *l. 2. C. de alim. pupil. præst. Treutl. vol. 2. disp. 8. th. 6. lit. B.* Si testator ea non decreverit *l. 2. § ult. ff. ubi pupil. ed. deb.*

48. Educari debet apud matrem viduam, nisi vitricum superinduxerit *l. 1. C. ubi pup. educ. Novell. 22. C. 38.* non vero apud eum, qui vel pupilli vitæ infidias struere, spe successionis persuasus, vel pudicitiae maculam inferre possit *l. 1. § 1. l. 2. § 5. C. ubi pupil. educ. deb.*

49. Secundo consistit etiam in incommodorum amolitione: quod fit solvendo debita, etiam quod sibi ipsi debetur, modo pecuniarium illud sit, & usurae graviores sint *l. quoties 9. § sciet 5. § 7. ff. de administr. tut.* quamvis alias in re propria auctor esse nequeat *§ fin. instit. de auth. tut. l. 1. § 5. in pr. § 2. § 3. l. 7. ff. de auth. tut.* cum Autorem esse sic probat;

probare quod agitur, hoc est, quod ab alio, & non à seipso geritur. *l. 3. ff. de aut. tut.* Et quæ tempore deteriores fiunt vel servando servari non possunt maturè alienando *l. 7. § 1. ff. de administ. tut.* In cæteris autem requiritur justæ alienandi causæ probatio, Judicis inquisitio, & decreti interpositio. *l. 22. C. de administ. tut.*

50. Tertiò in commodorum procuracione, hoc fit res quæ sitas custodiendo, nempe si ager rectè colitur, animalia pascuntur, curentur. Quærendas apprehendendo, ut si donationes accipit pupillus: hæreditates delatas non repudiat, debita rectè exigit *l. 15. ff. de administ. tut.* nec conditionibus parere reculat. *l. 21. C. eodem* Nomina paternorum debitorum persequitur, *l. 2. C. de arbitrio tut.* Petit deposita *l. 13. C. de administ. tut.* Contra fidejussores agit *l. 52. ff. de fidej. mand.* Deniq; ut rem paucis comprehendam, si omnes res pupilli, tanquam fidelis & diligens Paterfamilias, administrat *l. generaliter 10. l. à tutoribus 33. ff. de administ. tutel. l. 20. de Episcopali audientia.* Utilia perficit, utilia vero omittit.

51. Quarta officii pars versatur in autoritate ad res cum pupillo gerendas præstanda. Hanc autoritatem definit *Pacius Isag. tit. de aut. tut.* quod sit consensus qui in ipso negotio interponitur. Et *Cujacius in w Cod. de aut. tut.* quod sit approbatio tutoris expressa quæ interponitur, perfecto eo, quod pupillus eo præsentè gessit.

52. Est autem tutoris auctoritas necessaria, si ex negotio, quod geritur, pupilli conditio fieri possit deterior. *in pr. Inst. de auth. tut. l. pupillus, 189. ff. R. I.* secus si melior *in pr. inst. eodem.* Idq; indistinctè sive de acquirenda obligatione sive acquirendo dominio, aut alterutro omittendo agatur. *l. obligari 9. ff. hoc titulo.*

53. Unius autoritas sufficit etsi plures administrant *l. 4. ff. de aut. tut. l. ult. C. eodem.*

54. Statim tutor in ipso negotio præsens debet auctor fieri si hoc pupillo, prodesse existimaverit, post tempus verò vel per Epistolam interposita autoritas nihil agit *Instit. 2. de Aut.*

Aut. tut. l. obligari 9. § tutor ff. hoc tit. quia auctoritas pars solemnitatis. Quæ enim sunt solemnitatis in ipso actu interveniant necesse est C. auditis c. quia propter de Elect.

§ 5. Tutores etiam inviti coguntur subire onus tutelæ *l. 1. ff. de administr. tut. l. fin. in pr. versu scientes C. de administr. Lex enim neminem voluit esse immunem à publicis muneribus, & quilibet ad munus publicum subeundum cogi potest l. nullus 28. § l. vacuatis 19. C. de decur. nisi quis habeat justam causam excusationis l. 1. ff. de vacat. muner.*

§ 6. Excusat autem à munera tutelæ multitudo liberorum. Roma olim tres *l. 1. C. qui numero liberorum se excusant § 1. instit. d. t.* In Italia quatuor, in provinciis quinque *d. l. 1. § Inst. Nec refert masculi sint vel fœminæ l. 2. § 7. ff. de excusat. existant adhuc in patria potestate, vel emancipati, vel in adoptionem dati l. 2. § non solum. ff. eodem modo superstites sint & legitimi l. 2. § 2. ff. de vacat. muner. l. 7. ff. de Excusat. § 2. § 3. § 1. instit. eodem vel acie decesserint, l. 18. ff. de Excus. l. ult. ff. de vacat. l. 2. ff. de incendiis, quippe qui pro patria ceciderunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur *pr. inst. de excus. tut.* Idem procedit in nepotibus ex filio præmortuo *l. 2. § non solum ff. b. t. l. 3. C. de his qui numero liberorum se excus.**

57. Secundo procurator fisci *§ item Divus Marcus instit. d. t. l. administrantes ff. eodem.*

58. Tertio absentia propter rem publicam *§ item qui rei publ. Inst. d. t. l. administr. 41. ff. eodem.*

59. Quarto officia publica *§ § qui potestatem instit. de Excusat.*

60. Quinto lis magna pupilli cum tutore *§ item propter litem Instit. l. propter litem ff. eodem Novella 72. cap. 1. 2. 3.*

61. Sexta tria Onera tutelæ non affectatæ *§ 5. instit. hoc t. l. 2. § amplius. 9. l. 3. 4. 5. § 6. in pr. l. suadonum 15. § 15. l. non tantum l. 13. ff. eodem tit. C. qui numero tutelarum se excusant. Interdum & una tutela ad excusationem sufficit, quod*
fit

fit si tam diffusa & negotiosa sit, ut pro pluribus cedat. l. 31. §
ult. ff. b. t. non enim tam muneris tulerarum quam patri-
moniorum separatio, & rationum conficiendarum & red-
dendarum difficultas est consideranda l. 3. & 4. § fin. l. sua-
donum. ff. b. t.

62. Septimo paupertas § sed propter paupertatem Inst. l.
paupertas 7. ff. eodem. l. 40. § 1. ff. 51. b. t.

63. Octavo adversa valetudo § item propter adversam,
7. Inst. b. t. l. non solum 10. in fin. cum l. seq. ff. eodem. l. unica.
C. qui morbo se excusant post susceptam. 40. ff. hoc tit.

64. Nono imperitia literarum cum simplicitate & im-
peritia rerum conjuncta § similiter. Inst. de excus. tut.

65. Decimo grandior vel minor ætas § item major Inst.
b. t. l. finalis C. de legitima tut. l. 2. ff. eodem. l. unica C. qui
ætate se excusant.

66. Undecimo Militia § 14. & l. sed & miles 8. ff. eodem.
& l. militia 4. C. qui dare tut. possunt.

67. Duodecimo professio § 15. inst. l. si duas. 6. ff. eo-
dem.

68. Decimo tertio Tutor potest se excusare ab admini-
stratione earum rerum quæ in aliena provincia ultra centesi-
mum lapidem sita sunt l. non solum 10. § & qui testam. ff. eo-
dem.

69. Tutor si unam tantum habet excusationem, eamq;
non proponit intra 50. dies, postea non auditur l. scire § oportet
ff. eodem.

70. Si quis ad effugiendum onus tutelæ falsis excusatio-
nibus usus est, non liberatur ab onere tutelæ, etsi decreto li-
beratus sit, sed periculum administrationis ex eo tempore,
quo datus est, ad eum pertinet § fin. inst. de Excusat. tut. &
tot. tit. C. si tutor, falsis excus.

71. Legitimi tutores se quoq; excusare possunt l. 1. & 4.
C. de legit. tut. l. si sororis 9. C. qui tutores dari non poss.

72. Nunc videbimus quibus modis eadem dissolvatur.
1. Pubertate princ. inst. quibus modis tutela finitur l. 1. C. quan-

C

de tut.

do tut. vel curat. esse desit. 2. Conditionis eventu l. 14. ff. de
tut. 3. Morte naturali tam pupilli quàm tutoris §. simili
modo 3. Inst. d. t. l. nisi finita 4. princ. ff. de tut. & rationibus di-
strab. 4. Morte civili, veluti capitis diminutione pupilli
omni § 4. Inst. d. t. l. 14. in princ. ff. de tutela. Tutoris vero
maxima & media tantum, non autem minima, nisi tutor le-
gitimus sit § 4. Inst. d. t. §. eventu temporis § propterea Inst. d. t.
suspecti remotione. § 6 inst. daribus mod. tut. fin.

73. Suspecti tutores ii sunt, qui fraudulenter vel negli-
genter in rebus pupilli versantur, t. t. ff. & C. de suspectis tut. l.
si creditores 31. ff. de rebus auth. jud. poss.

74. Omnibus modo sint puberes conceditur postulare
suspectos cum sit quasi publica hæc actio § Consequens est,
Inst. de remot. tut. etiam mulieribus quæ pietatis necessitu-
dinæ ductæ ad hoc procedunt, § 3. Inst. b. t. l. 7. ff. b. t. imo
Favore pupillorum iudex etiam ex officio sine accusatione
tutorem suspectum repellere potest. l. 3. § 4. ff. de susp. tut.

75. Omnes tutores sive testamentarij sive legitimi sive
dativi suspecti fieri & ideo removeri possunt l. 1. § ostendimus
ff. eodem § 2. ostendimus: Inst. de susp. tut.

76. Si tutor qui vinculo aliquo necessitudinis vel affini-
tatis pupillo est adjunctus, vel Patronus, Pupilli liberti tute-
lam gerens à tutela removendus fuerit modestius tum agen-
dum, aut petatur ut curator ei adjungatur, vel verhis petitio
rempenda, & famæ tutoris parcendum. l. si tutor 9. ff. eodem
tit. Actio enim famosa, qualis hæc est § suspectus 6. Inst. de
suspect. tutor. non contra Patronos nec parentes datur l. non
debet 11. ff. de dolo. sed actio in factum l. 11. ff. de dolo malo
l. 11. ff. de minoribus.

77. Dupliciter crimen suspecti intentari potest, crimi-
naliter & civiliter l. 1. § 1. ff. de suspecto tut.

78. Civilis postulatio suspecti est, quando civiliter agitur
& petitur ut tutor declaretur suspectus & ab administratio-
ne removeatur rationem reddat & reliqua restituat: vel ut
tutor ei adjungatur l. 9. ff. de susp. tut.

79. Crimi-

79. Criminalis postulatio est quando tutor accusatur criminaliter non solum ut removeatur ab officio tutela, sed ut etiam arbitrio iudicis puniatur. *l. i. in fin. ff. eodem.*

80. Hi Iudices habent potestatem removendi tutores, qui habent potestatem dandi tutores. Nihil enim tam naturale est, quam ut quo unum quodq; modo ligatum est, eodem & dissolvatur. *l. nihil tam naturale ff. de R. J.*

81. Qui fraude gessisse probatur, removeatur, etsi satisfactionem offerat. Satisfactio enim malevoli propositum non mutat, sed diutius grassandi in re pupilli facultatem praestat. *l. suspectus. ff. eodem.*

82. Tutor ob dolum commissum remotus infamis efficitur: Propter culpam puta socordiam, segnitiam, inertiam, simplicitatem, aut similem ob causam remotus infamis non fit, sed illibatam existimationem de jure conservat. *in § suspectus 6. instit. de suspect. tut. l. 3. § fin. ff. eodem.*

83. Tandem & ultimo actionum ex tutela administratione ultro citroq; descendendum annectone hunc nostrae disputationis filum pertexemus. Finita tutela actio directa tutelae, contra tutorem pupillo competit, qua tenetur rationem reddere suae administrationis gestorum & omissorum. *§ ultimo Inst. de Act. tut. l. i. § 3. ff. de tut. & rat. dist.* Et quicquid dolo lata ac levi culpa tutoris, pupillus amisit vel non acquisivit, Ex eo die quo cognovit se tutorem, rescarcire. *l. i. pr. ff. de tut. & rat. dist. l. i. ff. de administ. & peric. tut. l. 7. C. Arb. tut.*


84. Datur & pupillo contra tutorem actio de rationibus distrahendis, ex lege duodecim tabularum proveniens, per quam licet pupillo, rationem a tutore datam, impugnare, & petere res ablatas. *l. i. § rationibus 19. & seqq. l. 2. ff. de tut. & rat. distrab.*

85. Aliquando etiam actio furti contra tutorem competit; quando constat eum res pupilli animo furandi conrectasse & abstulisse. *l. i. § pen. & ult. l. 2. ff. de tut. & rationibus distrahendis.*

85. Deniq;

86. Deniq; Pupilli habent etiam subsidiariam actionem, qua illi tenentur, qui satisfactionem exigere solent à tutoribus, quando vel omnino non curarunt satisfieri vel non idonei passi sunt caveri *§ sciendum 2. Inst. de satisfat. tut.*

87. Datur similiter tutori ejusve heredibus contra pupillum contraria tutelæ actio, ad illa quæ ei propter tutelam absunt restituenda: modo ex officio & bona fide obligationes susceptæ, sumptusq; facti fuerint, licet eventum advertitum habuerint. *l. 3. § sufficit. 7. ff. de cont. tut. & util. act. l. 1. t. 1. ff. de cont. & utili tut. act. l. 32. § 13. ff. de adm. nist. tut. l. 3. eodem.*



Heinrico Kornmanno, Juveni Solertissimo, Affini dilecto salutem & amorem.

FErvida dum Virtus, quæ nescit tecta latere
Cultores magnos efficit usq; suos!
Te quoq; qui Phœbi sectaris castra decenrer
Efficit, ut clarum nomen ad astra feras.
Semper honos nomenq; tuum plaususq; manebunt
Dum sequeris juris culta lycæa sacri.
Tu Patriæq; decus, moderando cuncta decenter
Ardentis juris ritè levabis onus,
Ad Themidos penitus discenda arcana laborem
Continua: hinc mollis, lenis & æquus eris.

Jacobus Martini SS. Theol.
Doct. & Professor in Electorali Witte-
berga Primarius, Facult. Theol. Se-
nior, Templi ad arcem Præpositus, &
& Consistorij Eccles. Assessor.

Ke 4489

ULB Halle

3


006 306 446




VD 77

M







14.

DISPUTATIO JURIDICA
De
TUTELIS,

Quam,
Auspicante DEO
Et

*Magnifico atq. Amplissimo JureConsultorum Ordine
in Celeberrima Academia Wittebergensi
approbante*

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi, Consultissimi atq. Excellentissimi

Dn. JEREMIÆ REUSNERI

J. U. D. Celeberrimi, Academiae Antecessoris & Senioris meritissimi, Electoralis Curiae, Facultatis Juridicae nec non Scabinatus Wittebergensis Assessoris dignissimi, Praeceptoris ac Promotoris sui aetatem cultu observantiae suspiciendi

Ad placidam collationem publicè proponit

HENRICUS KORNMANNUS

Breslâ Sil.

In Auditorio 7 Crorum horis à septima matutinis

Ad diem II. Aprilis.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS RÖHNERI,

ANNO MDC XXXIII.

Vd. 154.
a.

Gottfriedo B.

